



O. *harram hoc signum in* statim

29

DISPUTATIONUM
THEOLOGICARUM
De

SACRIFICIIS SA-
TISFACTIONIS PRO PEC-
CATIS TOTIUS GENERIS HUMANI
PER DOMINUM NOSTRUM JESUM
CHRISTUM PRÆSTITÆ, TYPIS CERTIS-
SIMIS ET SUAVISSIMIS

SECONDA

*Adversus recentiores Arianos seu Photinianos meritum
& satisfactionem CHRISTI Jesu negantibus.*

QUÆ

In Collegio disputationum Theologicarum privato in templo arcis

Ad d. 24. Aug. Anno Christi 1614. in Academia VVitebergenfi habebitur

P R A E S I D E

VVOLFGANGO FRANZIO

S.S. Theol. Doct. & Profefs. P.

R E S P O N D E N T E

M. MICHAELE SIRICIO LUB.

Facult. Philos. Adjuncto.

WITTEBERGÆ,

Ex Officina Typographica Jobannis Gormanni, Anno 1614.

DISPUTATIONUM
THEOLOGICARUM
SACRILEGII
IUS
CATHOLICIS
GENERICIS
HUMANI



1847
UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT
HALLE





Thesis I.

DEr annos superiores in Theologicis meditationibus *super Augustanam Confessionem* plerasq; *Photinianorum* de plerisque articulis sententias attigimus, & ex verbo Dei in illas animadvertimus. Prodierunt enim *duodecim* Disputationes super articulos priores decem Augustanæ Confessionis anno 1609. Prodierunt aliæ *duodecim* super posteriores undecim anno Christi 1610. Prodierunt *septem* super articulos abusu septem, anno 1611.

II.

Atq; quod titulus in hunc modum ipse habet, *Addite sunt in fine* (postremarum septem disputationum) *tres aliæ de tribus personis divinitatis, in quibus monstratur, qua methodo Antitrinitarij hodierni potenter & feliciter sint confutandi & refutandi.* Hactenus titulus.

III.

Compertum etiam habemus ex literis amicorum *ὁμοψήφων,* cunctas & singulas istas pervenisse in ipsas manus adversariorum.

Quapropter cum *in ultimis tribus disputationibus* jam indigitatis maximopere articuli de Trinitate fundamenta solida complecti allaboraverimus, & verò *cum ad Dominicam quintam Trinitatis hujus anni 1614. nobis exhiberetur refutatio disputationis de Spiritu Sancto à D. Alberto Gravvero in Academia Ienensi habitâ, facta per Valentinum Schmalzium Gothanum, & edita Racoviæ anno 1613. mirari necesse habuimus, cur in proœmio scribat (saltem) ad 24. Disputationes VVolffgangi Franzij Doctoris Academia VVittebergensis esse à sese confectas & propediem prodituras animadversiones.*

IV.

Porro quia *de plena satisfactione Domini nostri Iesu Christi peracta*

pro peccatis totius generis humani aliqua in iisdem disputationibus ad-
jecimus, quæ tunc pleniora reddere impedimenta alia non per-
mittebant, illud tamen ipsum in hisce meditationibus jam nunc
nobis est propositum.

V.

Adversus inquam Arianos recentiores seu Photinianos, quem-
admodum vocari lubentius tolerant, quod veterem Photini de
Christo seu potius tota Deitate renovent opinionem & hæresin,
disputationibus aliquot articulum fidei Christianæ maximopere
fundamentalem de plena satisfactione per Dominum nostrum Iesum Chri-
stum pro peccatis totius mundi præstita, confirmare animus est. Quem ut
tu Domine Jesu Christe in cunctis & singulis nobis fulgore Spiri-
tus Sancti tui & potentia virtutis tuæ robores, ardentissimis exo-
ptamus suspiriis.

VI.

Fiet autem illud per compendium quoddam, nimirum quia
firmissimum unum pro merito Christi Argumentum depromitur
ex sacrificiis veteris testamenti; & quia qui doctrinam de sacrificiis istis
penitus perspectâ habet, omnes Arianorum tricas eo fortius & ex-
peditius confutare novit, iccirco totam istam de sacrificiis doctri-
nam sub considerationem accuratissimam adducere conitemur.

VII.

Ne autem sine methodo divagemur, problemata quædam ordi-
ne perlustrabimus, & quidem hæc duodecim.

1. Quod in statu innocentiae nullus fuisset futurus usus ullorum
sacrificiorum legalium.
2. Quod sacrificia demum post lapsum & quidem illico à lapsu
experint divinitus ordinari & institui.
3. Quod in actibus sacrificiorum preces, & confessiones pecca-
torum, & cantica & collaudationes Dei, & considerationes bene-
ficiorum passionis Messiae præcipua pars fuerint, & ut ita loqua-
mur, quasi anima sacrificiorum.
4. Quod nullo alio igne cõburi potuerint sacrificia nisi isto igne,
quem Deus singulariter & miraculosè immittebat vel demittebat
de cælo, quem postea sacri homines diligenter conservabant.
5. Quod suo modo sacrificia expiaverint peccata hominum.
6. Quod

6. Quod sacrificia nunquam in pluribus, sed semper in uno tantum loco ordinariè, & quidem in loco divinitus ad hanc rem deputato potuerint celebrari.

7. Quod non potuerint administrari nec etiam debuerint administrari nisi in illo populo, ex cujus linea prodire debuit Christus.

8. Quod tamen exteris quoq; licitum fuerit petere ut pro ipsis fierent sacrificia.

9. Quod sacrificia non debuerint durare nisi usq; ad passionem Christi, & quod sacrificia fuerint typi Christi.

10. Quod Christus venerit adhuc durantibus ritibus sacrificiorum legitimorum.

11. Quod non longè post ascensionem Christi locus, ignis, & ritus ipsorum fuerit mirabili providentia divina destructus.

12. Quod mirabili providentia divina jam ultra sesqui mille annos frustra novum ignem (ipsi vocant Judæi hodierni *signum*) & prioris sacrificiorum loci restorationem expectent & frustra in perpetuum posthac sint expectaturi.

IX.

His verò problematibus expeditis definitionem & divisionem speciesq; singulorum sacrificiorum contemplabimur & in iis videbimus Evangelicas Prophetias seu conciones propheticas de passione & morte Domini nostri Jesu Christi. Etsi enim hæc poterant primo loco proponi, tamen causæ sunt cur Problemata præmittere conducat.

PRIMUM PROBLEMA.

Quod in statu innocentia nullus fuisset futurus usus ullorum sacrificiorum sic appellatorum vulgè legalium.

IX.

Exiguum licet fuerit tempus, quantulum quantumve fuerit, istius status primorum hominum, quod usitatè *statum* cognominant *Innocentia*, tamen sub eodem jam modo divinitus jacta cæperant esse rudimenta Ecclesiastica, Politica, Oeconomica, quorum rationem ex primo & secundo Geneseos capite agnoscere li-

A 3

cebit.

cebit. Nos pro instituti nostri ratione contineamus stilum nostrum
intra status Ecclesiastici in statu innocentiae futuri meditationes.

X.

Rem autem omnem & rationem primi Problematis tali com-
plecti possumus Syllogismo :

Si in statu innocentiae, ad sacra peragenda, Deus requisivit capi-
ta locorum communium talia, ex quibus neq; per expressum
verbum, neq; per consequentiam bonam sacrificia elici pos-
sunt; tum in statu innocentiae nullus fuisset usus sacrificiorum.
Sed prius verissimum esse, ex inductione precipuorum capitum,
ad sacra tractanda, in statu innocentiae necessariorum, luce
meridiana clarius efficietur.

Ergo & posterius manebit verissimum & certissimum.

Videamus igitur precipua capita necessaria ad tractationem rerum
sacrarum, in statu innocentiae. Etsi verò de iis multa non exant
in Genesi, tamen aliqua vestigia eorundem diligenter priora duo
capita scrutantibus apparebunt.

XI.

I. In statu in-
nocentiae
septimus
dies fuisset
sacer.

Ad *εὐραζίαν* igitur status Ecclesiastici in statu innocentiae per-
tinet certi temporis videlicet *diei septimae seu Sabbati* sanctificatio.
Benedixit nimirum Deus diei septimo, & sanctificavit illum, quia
in illo quieverat ab omni opere suo, quod creaverat Deus, ut face-
ret Gen. 2, 3.

XII.

Etsi enim omnes & cuncti dies in sese sunt ratione creationis quã
optimi, tamen hunc 1. *sanctificat* ratione operis sanctioris, quod in eo
posthac fieri & tractari voluit. At Deus simul 2. *benedixit* septimo
diei, hoc est, suam singularem praesentiam & operationem in ho-
mine promisit. Quae licet post lapsum tamen ipse Deus explicat in
hunc eundem sensum. Sic enim habetur Exod. 20, 8. *Recordare diei
Sabbati, ut sanctifices illum, sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum,
At die septimo Sabbatum erit Iehovae Deo tuo, non facies ullum opus, neq; tu
neq; filius tuus, neq; filia tua, neq; servus tuus, neq; ancilla tua, neq; animal
tuum, neq; peregrinus tuus, qui est in portis tuis. Sex enim diebus fecit Iehova
caelum & terram, mare, & quaecunq; sunt in eis, & requievit die septimo, ic-
circo benedixit Iehova diei Sabbati & sanctificavit eum. Item Marc. 2, v.
27. Sabbatum propter hominem est factum non homo propter Sabbatum.*
Debit

Debuit igitur post lapsum ita quoq; ante lapsum hic dies esse si-
gnum inter Deum & hominem, Ezech. 20. v. 20. *utium Salbat folt
ifri frilign ed.*

XIII.

Deinde ad hujus rei, in qua explicanda versamur, ante lapsum, *II.*
ευρα ζιαν pertinet persona & persona impostum docendi munus. Homini In statu in-
enim seu Adamo tanquam viro primū condito præcepit cum primis nocentia
Jehova Deus dicendo, *ex omni arbore horti comedendo comedes. At de ar-* non fœmi-
bore scientia boni & mali non comedes ex ea, nam in die quo comederis ex ea, na sed vir
moriendo morieris, Gen. 2. v. 16, 17. Si ergo hoc præceptū servare debuit in publicis
in honorem Dei non tantum ipse Protoplastes, sed & uxor ejus, i- cætibus
mò & tota posteritas, utiq; illud sibi cum primis imperatum & pro- docuisset.
positum Adamus & conjugi & soboli, & omni posteritati in con-
cionibus diligenter & graviter inculcare debuit.

XIV.

Fuisse hoc officium singulariter Adamo viro commissum, pa-
tet ex textibus capituli 3. Sic enim habetur v. 9. *Vocavit Deus hominem:*
& dixit ei, ubi es. Et v. 11. *Quis indicavit tibi quod nudus esses, nonne de ar-*
bore illa, De qua præceperam tibi ne comederes, comedisti. Et v. 17. *Adæ*
ait, quia paruisti voci uxoris tuæ & comedisti de arbore illa, de qua
præceperam tibi, dicendo, non comedes ex illa.

XV.

Et hosce textus citat Apostolus, quando vult probare, etiam,
post lapsum in cætibus Ecclesiasticis tacere debere mulierē 1. Tim.
2. v. 11. 12. 13. *Mulier cum silentio discat cum omni subjectione, Mulieri e-*
nim docere non permitto, neq; dominium usurpare in viros, sed esse in
silentio, Adam enim primus formatus est, deinde Eva.

XVI.

1. Cor. 11. v. 3. & seqq. *Volo vos scire quod omnis viri caput Chri-*
stus est, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus. Omnis vir
orans aut prophetans velato capite dedecorat caput suum: Omnis
autem mulier orans aut prophetans non velato capite dedecorat caput suum.
Unum enim est ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier, etiam
decalvetur: Si verò turpe est mulieri decalvari, velet caput suum.
Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & glo-
ria Dei est, mulier autem gloria viri est: non enim vir ex muliere est,
sed mulier ex viro. Etenim non creatus est vir propter mulierem,
sed

sed mulier propter virum. Ideo debet mulier velamen seu potestatem habere super caput propter angelos. Attamen neq; vir sine muliere, neq; mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem, omnia autem ex illo.

XVII.

Item ibidem è vestigio: Vos ipsi iudicate, decernè mulierem non velatam orare Deum, *Anne ipsa Natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi, Mulier verò si comam nutriat gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.*

XIIX.

Et rursus 1. Cor. 14. v. 34. post lapsum multo magis voluit servari Deus illum ordinem, *Mulieres vestrae in caetibus fileant, nec enim permissum est eis ut loquantur, sed subditæ sint, sicut & lex dicit (Genes. 3. v. 16.*

XIX.

Summa omnium eo redit, cum mulieres Spiritu Sancto singulariter donatæ tum temporis in urbibus opulentis lascivius supra viros in publicis caetibus sese gererent, docet Apostolus Christum (*qui aliàs est caput totius Ecclesie tam quoad fœminas quam quoad viros, tam quoad pucros, quam quoad adultos*) inter alia à Patre accepisse officium docendi Ecclesiam, à Christo hoc ipsum officium commissum esse viris non fœminis, sicque viri caput Christum, Christi caput Deum, mulieris autem caput virum esse, adductâ primaria à ratione quæ ante lapsum viguit, quia *vir hoc ipso consilio primùm est conditus, & mulier ei addita in adiutorium.*

XX.

Hoc ipsum confirmat alio modo etiam ac iterum ex ipsa creatione in qua mulieri sunt dati certo consilio & respectu capilli prolixiores, unde finis ipse istius creationis juxta mentem Apostoli Spiritu divino præditi vult, mulieri non permittendum, ut doceat, quod (*quantum per valetudinem & alias fonticas causas fieri licet*) *doctrinam publicam seu concionationem aperto seu nudo capite fieri conveniat in honorem Christi qui commendavit, has vices suis vicariis viris. Argumentum ita format: Nemo prolixis capillis à creatore præditus, debet in publicis caetibus, ordinariè & regulariter docere. At mulieri dedit Deus in creatione prolixiores capillos. Ergò Deus ipse*

ipse hoc fine talem creavit comatam foeminam, ut à docendo in publicis cætibus abstineat.

XXI.

Accerfit huc reliqua fulcimenta iterum, quod primò conditus auctoritatem majorè habere debeat præ secundo condito. Sic enim vir est ante mulierem, nec vir ex muliere sed mulier ex viro, neq; vir propter mulierem sed mulier propter viram. Qui ordo creationis iterum ostendit, potestatem & auctoritatem in sacris cætibus docendi penes virum debuisse esse sitam in statu innocentiae, & multò magis nunc in statu post lapsum.

XXII.

Tertiò huc pertinent illa, de quibus in statu innocentiae fuissent edocendi homines. Si ordine percurreris locos theologicos prout in nostris libellis catecheticis exstant, invenies Theologiam Adami ante lapsum esse debuisse de revelationibus Dei, de Deo, de creatione, de angelis, de providentia divina, de lege Dei, deq; vita secundum illam instituenda ad vitandam corporalem & æternam mortem, de Dei invocatione, de Ecclesiae & cunctorum hominum Sanctorum communione, de magistratu, de conjugio, de ministerio, de fine hujus mundi, de vita æterna ex Dei gratuito beneficio tandem expectanda & de æternis gaudiis.

XXIII.

Tunc non opus fuisset articulis de Messia, de Officio Messiae, de lapsu, de peccato, de justificatione per meritum Christi passi, de prædestinatione, de sacramentis postea factis veteris & novi Testamenti, de diversis membris Ecclesiae, de potestate clavium, de poenitentia, de libertate Christiana, de scandalo, de cruce & calamitatibus, de inferno & qui sunt similes.

XXIV.

Et reliqui in statu innocentiae futuri loci Theologici per se satis colligentur ex cap. 1. & 2. Genes. latius evolutis, ascito propter angelos Psalmo 148. v. 2. quorum tamen notitiam ex communi doctrina de creatione perspectam tenuissent homines tunc temporis. De providentia etiam in gubernandis motibus syderum, in conservandis speciebus omnium plantarum animaliumq;, in augendo genere humano, in mirâ corporum humanorum & aliorum fabrica, & in similibus infinitis plurima in suis cætibus docuissent homines ante lapsum.

B

Sig.

III.
Qualis
Theologia
fuisse in
statu inno-
centiae fu-
tura.

Vita æterna in statu innocentie etiam gratuito Dei dono hominibus contigisset.

Siq; ex dono Dei acceperant tunc homines vitam corporalem, multo magis ex dono Dei æternam sese accepturos per fidem in promissionem sacrosanctæ Trinitatis confessi fuissent. Et appositè Lyra scribit super illa verba Gen. 2. v. 15. Posuit eum in horto, per hoc ostenditur quod Adam fuit formatus extra paradysum, ad ostendendum, quod ille locus debebatur sibi non ex natura, sed ex gratia, sicut & immortalitas prædicta. Habuisset nimirum sine dubio tunc quoq; locum illud Luc. 17. v. 10. Si omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus, fecimus.

XXV.

Et si enim ex gratuito dono fuit Adamo & ita toti generi humano vita æterna promissa, quæ post lapsum ex merito Christi interveniente iterum gratuito promittitur & præstatur, tamen sicut post lapsum ij qui veram fidem in Christum habent, etiam bonis operibus eandem protestari debent, ita quoq; ante lapsum honoris & gratitudinis loco legem Deise qui & obedientiam in abstinentia speciali ab arbore scientiæ boni & mali præstare decuisset.

XXVI.

De magistratu quoq; Politico in statu innocentie patebit ex distinctione Paradisi dati Adamo à possessionibus reliquorum omnium per totum orbem terrarum, sicut Deus generi humano subjecerat terram, ut dominarentur piscibus maris, volatili cæli & omni reptanti super terram.

XXVII.

An Messias etiam in statu innocentie fuisset venturus.

Cæterum etiam in statu innocentie tamen venturum fuisse Messiam, tum olim in Prussia *Osiander* contendit, tum hodierni disputant *Photiniani*. Decerpit argumentum *Osiander*, quantum colligere licet, ab imagine Dei, ad quam creatus statuitur homo, Gen. 1. Hominem enim ita voluit creatum esse ad imaginem Dei quod formatus fuerit ad exemplar futuri Messie, ut ita illum referret, quem jam modo in decreto suo ante creationem cæli & terræ carne vestire decreverat.

XXIIX.

Animadvertimus illum quoque fuisse usum hoc argumento, quod *ipsum ista sententia ex scripturis non possit refutari*. At sufficit hoc, quod ista sententia omnino caret expresso scripturarum sacrarum fundamento. Eo ipso enim contra scripturam esse asseritur & à scripturis

Scripturis refutatur, quia nullis sacris scripturis expressis tanta res stabiliri potest. Deinde sacrae literae expressissimis rationibus monstrant alium modum imaginis Dei in homine, qui eruendus est ex Gen. 1. v. 26. 27. 28. Eph. 2. v. 24. Coloss. 3. v. 10. Præterea quia sacrae literae docent, alio sine venisse Messiam, nimirum tantummodo propter statum innocentiae perditum seu lapsum secutum, Deus utiq; in creatione mundi in condendo homine jam modo ad Messiam hominibus destinatum & mittendum respicere non potuit.

XXIX.

Atq; eandem hypothesein de Messia etiam intra statum innocentiae immittendo propugnant hodierni Photiniani. 1. Ex Rom. 5. & 2. ex 1. Cor. 15. ubi dicitur: Adam auctor mortalis corporis, Christus immortalis corporis. Imprimis ex 1. Cor. 15. v. 44. 45: *Urgent, quod ante lapsum habuerit Adam animale corpus, sed sit habiturus in caelo spirituale corpus.* Animale igitur corpus vocant, quod necessitati cibi & potus & somni & continuationis per generationem similium & mortis esset obnoxium ex se & ex sua natura. Probatum dare volunt hoc ex Lucae 20. v. 34. *Filij hujus seculi ducunt uxores & nuptum dantur, qui vero digni habiti fuerint, qui avum illud consequantur & resurrectionem ex mortuis, neq; ducunt uxores. neq; nuptum dantur. Neq; enim mori possunt amplius, aequales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis.*

XXX.

Sed res erit valde expedita. Animalium aliorum animae in prima creatione educuntur ex aquis & terris, ut legimus de piscibus, avibus, bestiis, Gen. 1, 20. 24. hominis vero anima aliter inspiratur Gen. 2, 7. & tunc fit ipse in animam viventem, a deoq; citra dubium ad imaginem Dei, Gen. 1. 26. 27. Atq; licet corpus hominis expresse ex limo terrae, (terrae similis materiae animalium creatorum reliquorum) creatur, tamen creatur morborum & mortis expers, Pater illud ex Gen. 2, 17. Rom. 5, 12. quod morbis & morti non nisi post peccatum corpus hominis fuit obnoxium redditum. Et non inficiari possumus quod annotat Socinus adversus Puccium in prima responsione ad tertium argumentum folio 7. etiam post peccatum, non minus quam antea appellari animalia animas viventes, & esse in eis spiritus & spiraculum vitae. Sic enim habetur quod נפש חיה anima vivens fit reptile Gen. 1. v. 20. & cetus & omnis piscis Gen. 1, 21. & jumentum quodvis secundum speciem suam Gen. 1. v. 24. Item

X3.

An homo in statu innocentiae fuisset moriturus.

Gen. 1. v. 30. Iterum omnia animalia irrationalia hoc nomine vo-
cantur Gen. 2. v. 7. XXXI.

Post lapsum idem fit Gen. 9. v. 10. 12. 15. 16. Immo sicut homo di-
citur spiraculum vitæ habere Gen. 2. v. 7. ita illud ipsum accommo-
datur brutis Gen. 7. v. 22. addita insuper dictione una in hunc mo-
dum נשמת רוח חיים spiraculum spiritus vitarum, sicut de ho-
mine usurpantur נשמת חיים spiracula vitarum Gen. 2. v. 7. Item de
homine usurpatur רוח spiritus Psal. 31. 6. sed & de bruto Gen. 6. 17.
& 7. 15. XXXII.

Et ex his omnibus ipsi quidem concludere volunt fuisse corpo-
ra & animas tam hominum quam animalium brutorum omnium
eiusdem originis & per consequens etiam conditionis scilicet mor-
talis. XXXIII.

Verum enimvero ex lege illa & comminatione legis Genes. 2.
v. 17. *In die quo comed. ris, moriendo morieris*, firmiter colligitur, Et si
corpus hominis cum corpore bestiarum, communem habebat ma-
teriam elementarem, quod tamen à Deo conditum fuerit immor-
tale. *Moriendo enim mori*, nihil est aliud, quàm ex decreto commi-
nationis divinæ tunc temporis fieri mortalem & postea singulis
diebus mortem ultimam expectare. *Nisi hanc addideris declara-
tionem, sequetur illico post lapsum fuisse extinctum morte natura-
li hominem, quod tamen factum non fuit.*

XXXIV.

Audiatur hac de re paulo aliter instituta dissertatio Augustini to-
mo tertio de Genesi ad literam posteriore, lib. 6. cap. 24. & 25. *Illud
corpus ante peccatum & mortale secundum aliam, & immortale secundum a-
liam cassam dici poterat*, id est, mortale, quia poterat mori, *immortale
quippe quia poterat non mori*. Aliud est enim, non posse mori sicut
quasdam naturas immortales creavit Deus, aliud est autem, posse
non mori, *secundum quem modum primus creatus est homo immortalis*,
quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, à
quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori, qui nisi pec-
casset, posset non mori. *Mortalis ergo erat conditione corporis a-
nimalis, immortalis autem beneficio conditoris*. Si enim corpus a-
nimale, utique & mortale, quia & mori poterat, quamvis & im-
mortale ideo, quia & mori non poterat. Neque enim immortale,
quod mori omninò non possit erit nisi spirituale quod nobis futu-
rum in resurrectione promittitur. Ac per hoc illud animale & ob
hoc

hoc mortale quod propter iustitiam spiritale fieret: & ob hoc mortale omnimodo factum est propter peccatum, non mortale, quod & antea erat sed mortuum, quod posset non fieri, si homo non peccasset. *Hactenus dissertatio Augustini.*

XXXV.

Neq; valet, quod Socinus & alij prætendunt mortem ante lapsum fuisse *naturalem*, sed post lapsum *necessariam*: Siquidem corpus quidem naturæ conditione mortale dici potuisset, At propter singularem ordinationem Dei mori non poterat, seu mortale esse non poterat, si perseverasset in obedientiæ inchoatæ curriculo.

XXXVI.

Nequaquam igitur ante lapsum in statu innocentiae opus fuisset missione Messiae. Unde etiam demum post perditum statum innocentiae promitti cepit ille Gen. 3, 15. *Et cogita lector amice*, quod cõtendunt Photiniani quorum verba in disputatione alia de sacrificiis 10. Junij 1614. instituta recensuimus, debuisse venire Messiam, qui in statu innocentiae mortuos tandem ex terræ pulvere suscitasset: *Quasi Deus ipse sine corpore Messiae creato* tandem suos in statu innocentiae mortuos, ut ex hypothese ita loquamur, ipse exuscitare non potuisset.

XXXVII.

Quod autem maximum est verbo Dei expresso destituuntur quo possint sententiã illam suam de re tanti momenti tueri. Ad Corinthios Apostolus quidẽ adducit verba ex Gen. 2, 7. sed tamen juxta modum Salvatoris Luc. 20, 34. accommodat ad statũ jam modo immutatum post lapsum, ostenditq; sicut hactenus propter peccatum (propter quod corpus est mortuum Rom. 8.) gessimus imaginem terreni quod ita tandem propter gratiam Christi gerere debeamus imaginem spiritualis.

XXXIX.

Clarius, quia multi ut resurrectionem negare possent hoc argumento utebantur, quod non possent intelligere, qualia resuscitati essent habituri corpora, respondet adductis Physicis. 1. Quod quotannis videamus mori & vicissim repullulascere grana in agris. 2. Quod Deus ex cibis iisdem tamen nunc formet diversas & aliis alias præstantiores carnes. 3. Quod ex eadem materia calorũ tamen Deus formet diversæ lucis & præstantiæ stellas. Jam facit applicationem. Si ergo Deus hæc Physica fecit, & facit in hac vita, multo magis poterit in altera vita mortuis reddere non tantũ corpora sua sed & præstantiora eadem facere, quam fuere in hac vita.

Hinc igitur collationem instituit: In hac vita sunt corruptibilia ignominiosa, infirma, & (propter originem ex maledicto ad mortalitatem corpore Adami sumtam) animalia. In altera erant incorruptibilia gloriosa, firma, & (propter virtutem ex benedicto semine Abrahamæ in fide haustam) spiritualia. Vita corporis infirmi capit in Adamo, ita corporis spiritualis incipit in Christo. Adam est autor vitæ prioris infirmæ, ignominiosæ, animalis quatenus nunc est animale. At Christus est autor alterius in æternum duraturæ. Et hæc de illo loco, cujus verba pauca (non verò omnia) sunt sumta ex Genesi, & accommodata ad statum post lapsum. Si enim omnia in Genesi cap. 2, haberentur, quæ habentur ad corinthum aliquid obtinere posset Socinus.

IV.
Qualis fu-
isset do-
ctrina le-
gis in statu
innocen-
tiæ.

Quartò docere debuit Adam, ante lapsum legem moralem, cujus capita tunc citra omne dubium manifestavit homini Deus. Malumus dissertationem hac de re audire pulcherrimam antiquissimi scriptoris Tertulliani. Sic igitur scriptum nobis reliquit in libro adversus Judæos cap. 2. *Cur Deus universitatis conditor, mundi totius gubernator, hominis plasmatore, universarum gentium sator legem per Moysen uni populo dedisse credatur & non omnibus gentibus attribuisse dicatur? nisi enim eam omnibus dedisset, nullo pacto ad eam etiam profelytos ex gentibus accessum habere promitteret, sed ut congruit bonitati Dei & equitati ipsius, utpote plasmatore generis humani, omnibus gentibus eandem legem dedit, quam certis & statutis temporibus observari præcepit quando voluit, & per quos voluit, & sicut voluit.* Namque in principio mundi, ipsi ADÆ & EVÆ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederent, quod si contra fecissent, mortem morerentur, quæ lex eis sufficeret, si esset custodita. In hac enim lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen, id est, diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo & ex tota anima tua, & diliges proximum tibi tanquam te, & non occides, non mœchaberis, non fraudaveris, falsum testimonium non dices. Honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupisces. *Primordialis lex est enim data Adæ & Evæ in paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei.* Deniq; si Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent: si proximum diligerent, id est, semetiplos per-
suasioni

suasioni serpentis non credidissent, atq; ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum, de furto quoq; abstinuissent & de fructu arboris clam non degustassent, nec à conspectu Domini Dei nostri sub arbore delitescere gestissent, nec salum asseveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei quod similes Deo essent futuri: Atq; ita nec Deum offendissent, ut patrem, qui eos de limo terræ quasi ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupissent, de fructu illicito non gustassent. *Igitur hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinaverunt? Hæc omnia Tertullianus.*

XLI.

Et paulo post idem: Unde intelligimus Dei legem etiam ante Mo- sen, nec in Choreb tantum aut in Sina, & in eremo primum, sed antiquiorem primum in paradiso, post Patriarchis, atq; ita & Judæis certis temporibus reformatam, ut non jam ad Moyse legem ita attendamus quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam certo tempore Deus & gentibus exhibuit & repromissam per Prophetas in melius reformavit, &c. Hactenus verba Tertulliani.

XLII.

Atq; hæc quæ breviter hactenus saltem delineavi, fuisset materia in Ecclesiasticis conventibus in statu innocentia. Pontificij verò ut missæ suæ fulcimentum insigne comparent, disputant, in statu innocentia etiam fuisse futurum usum sacrificiorum, sed argumentis omnino nullis.

An fuissent futura sacrificia in statu innocentia.

XLIII.

Gregorius de Valentia lib. 1 cap. 4. de missæ sacrificio inter alia scribit in hunc modum: Si hoc non esset perpetuum consilium Dei, ut lex quæcunque, quam ipse sancit hominibus annexum Sacerdotium adeoque sacrificium habeat, non rectè conclusisset Apostolus, legem Leviticam idcirco translata esse, quoniam ejus est translatum sacerdotium, & sacerdotio alicujus legis translato, necesse est ut legis translatio fiat. Responderi enim posset, legem sine sacerdotio potuisse manere. Itaq; cum ad illud concludendum generalem illam propositionem sumit, translato enim sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat, tacitè propositionem alteram ponit, decretum Dei videlicet hoc esse.

esse, ut ipsius lex nulla sine sacerdotio, adeoque sine sacrificio consti-
stat. Si enim speciatim de sola lege veteri significaret, non posse
absq; sacerdotio & sacrificio constare, id ipsum sumeret quod con-
cludere instituerat, quod est in argumentando vitiosum. *Hactenus
verba Gregorij de Valentia.* XLIV.

Et paulo post clarius: Quatenus lex gratiæ nobis, natura humana
præditis data est, iccirco sacrificium externum, tale præsertim, qua-
le hoc est, admittere PUTARI DEBET, quoniam cum sit suavis & o-
prima non extirpat, sed tuerur potius ac perficit, QUÆ SUNT SE-
CUNDUM RECTAM INCLINATIONEM HUMANÆ NATURÆ. Hujus
autem generis esse sacrificij alicujus externi religionem, Tum ipsa
NATURÆ NOSTRÆ RATIO declarat, quæ ut animo & corpore divi-
nitus donata est, ita convenit, ut Deo corporis etiam præstet obse-
quium, corpoream aliquam rem, ad ipsius majestatem tanquam
auctoris omnium præstandam conficiendo, Tum magno indicio
& omnium gentium hac in re, si non ut prorsus necessaria ac debita,
certè bona imprimis & humanitatis admodum propria CONSEN-
sus. *Hæc ille.* XLV.

Et è vestigio idem: Quem quidem (consensum) Beatus Augustinus
itã commemorat, ut cum rationi consentaneus sit, minimè vitupe-
ret, prudenterq; moneat, non ideò gentes aliquas peccavisse, quia
compulsæ hac inclinatione naturæ sacrificandi officium usurpa-
rent, sed quia sacrificarent dæmoniis ut Apostolus inquit, & non
verò Deo, quod corruptæ naturæ vitium erat, Cum ipsum officij
Genus, nempe ut Deo, communi quadam NOTIONE APPREHENSO
sacrificare instituebant, ex recta naturæ inclinatione proficiscere-
tur. *Hæc iste.* XLVI.

Et post pauca: Quid Abel, Noe, Job & alii Patriarchæ, ad quos
non spectavit lex scripta. Hi certè rationis judicio ducti ea fece-
runt sponte sacrificia, ad quæ inspecie, neq; naturalis neq; divina
lex ipsos obligabat, sicut B. Clemens & B. Anacletus testantur. Nam
quod fide etiam sine qua impossibile est placere Deo, obtulerint,
ut Apostolus de Abele testatum reliquit, hinc minimè ut Heer-
brandus putat, sequitur ipsos ex divino præcepto aut ex revelatio-
ne, qua illa sacrificia in specie bona esse cognoscerent obtulisse, sed
tantum ex firma fide in Deum cui etiam crederent, genus ipsum
novi cultus placere, sacrificavisse. *Hæc omnia Gregorius de Valentia,*

valde

valde, ut patet ex ijs, quæ hic & in alijs disputationibus fusiùs do-
cebuntur, P U E R I L I T E R.

XLVII.

Nec eruditionis aliquid amplius sapiunt, quæ ante ipsum de
eâdem re in eandem sententiam protulit *Bellarminus* lib. 1. cap. 20.
de missa. Docet enim missam esse sacrificium argumento 1. petito
ex conjunctione, quæ est inter legem seu religionem, & sacrifici-
um externum, ac propriè dictum, ut omninò necessarium sit, aut
legem & religionem verè ac propriè in Christi Ecclesia non repe-
riri, aut sacrificium quoque externum & propriè dictum in Ec-
clesia Christi reperiri.

XLIX.

Propositionem autem primam suam probat ex eo quod F E-
R E omnis religio seu vera seu falsa omni loco & tempore, SEMPER
ad cultum Dei sacrificia adhibuit. *Et addit*: Hinc enim colligitur,
id prodire ex lumine & instinctu naturæ & esse primum quoddam
principium à Deo nobis ingenitum *Hec ille.*

XLIX.

Argumentum Bellarmini alterum est. Sacrificium cum ipsa religi-
one natum est, & cum illa extinguitur. Est igitur inter ea conjun-
ctio quædam planè necessaria. Antecedens probat, quia primi ho-
mines, qui Deum coluisse leguntur, Filij Aadam fuerunt Cain &
Abel, illi sacrificia obtulisse leguntur Gen. 4. Deinde mundo per
diluvium abolito, cum iterum renovaretur religio, simul renova-
ta sunt sacrificia per Noe Gen. 8. & deinde cum ob varias persecu-
tiones religio vera in periculum adduceretur, nihil prophetæ ma-
gis lamentabantur, quam sacrificiorum cessationem, Reg. 19. v. 10.
2. Par. 15. v. 3. Dan. 3. v. 33. Et Dan. 12. v. 11. dicitur Antichristus abla-
turus jure sacrificium nimirum, ut religionem penitus tollat. De-
nique Apostolus Hebr. 7. dicit, populum sub sacerdotio Levitico
accepisse legem, & deinde addit, translato sacerdotio necesse est, ut
& legis translatio fiat.

L.

Argumentum Bellarmini tertium est. quod sacrificium ita à
Pontificijs propriè sumtum, sit talis cultus externus, qui soli Deo
fiat, cum omnia alia interna non sufficiant, nisi externa larria acce-
dat, cum externa alia, nudatio capitis, genuflexio, prostratio cor-
poris etiam hominibus exhiberetur, Exod. 22. v. 20. *Hæc omnia Bel-
larminus.*

LI.

Etsi verò ambo isti Bellarminus & Gregorius de Valentia videntur rem omnem à primo ovo deducere velle, & demonstrare hoc thema, quod sacrificium cœperit cum ipsa religione, tamen hoc ipsum quod promittunt, ne utiquam præstant.

LII.

Introducunt enim pro stabilienda antiquissima sacrificandi consuetudine exempla Caini & Abelis, sed quid hæc ad rhombum illum. Anne ante lapsum nulla fuit religio, anne Deus nulla præscripsit Adamo præcepta juxta quæ vellet coli ab homine illo & à tota posteritate, num verò jam apud Deum certa fuit sententia de lapsu non tantum indulgendo, verum etiam potenter & efficaciter divinitusque procurando, ut demum post introductam lapsus & peccati sæditatem occasio præberetur Deo constituendi cultum illum divinum, quem pontificij cultum sub lege naturæ vocant, in quo cultu post lapsum præscripto sacrificia vigere debuisse nemo nostrum negavit aut negabit unquam.

LIII.

Verba utriusque satis sunt clara hæc Bellarmini, *Sacrificium cum ipsa religione natum est, & cum illa extinguitur: Iam subsume lector: Sed religio divinitus præscripta fuit hominibus ante lapsum in statu innocentia, in qua tamen ne minimum vestigium ullius sacrificii conspiciere vel odorari licitum est.* Neque enim permittitur Bellarmino, ut ex cerebro suo affingat sacrificium aliquod statui innocentia, sed hoc frenum ipsi imponitur, ut ex aliquibus vestigiis sacrarum scripturarum hoc ipsum quod asserere audeat, deducat.

LIV.

His ità firmissimè stantibus cadit utriusque istius auctoris argumentum, quo imperitioribus suum facere possunt satis facilem. *Si omnis religio debet habere conjunctum sacrificium,* tum hodierna quoque Ecclesie Christianæ novi testamenti religio visibile aliquod & externum habere sacrificium debet, quale nullum aliud demonstrari vel dari potest præter missam. Sed prius verum (ut ambo isti ratiocinantur) Ergo verum & posterius. At inquit nos, PRIUS illud est falsissimum & absurdissimum. Ergo & ex hoc argumento missæ sacrificium ne minimam alicujus fulcri particulam sperabit.

LV, Ca-

L V.

Ceterum de Caini, Abelis, Noæ, Eliæ, Danielis sacrificiis suo loco infra in alia disputatione. Illud ex Heb. 7. v. 12. adductum, translato sacerdotio necesse est legem transferri, itidem nihil potest juvare causam Pontificiorum, cum nec istud ipsum altius exporrigere & extendere valeant, quam ad ita ab ipsis vocitatâ legem naturæ, cujus initium aliud statuere nequeunt nisi in Caino & Abele, qui post lapsum, nequaquam verò antelapsum vel fuerunt, vel sacrificarunt.

L V I.

Prorsus etiam audax est, quod uterq; Bellarminus & Gregorius de Valentia cultum sacrificij volunt acceptum referre ipsi lumini naturæ & instinctui divinitus ingenito; item rectæ rationi, seu rectæ inclinationi humanæ naturæ, cui consentaneum sit, ut in cultu divino non tantum invisibile aliquod internum cordis adsit honoramentum, sed & externus cultus, & quidem talis, qui soli Deo sit propriè dicatus, qualis extra sacrificium excogitari nequeat.

L V I I.

Sed primum, etsi ipsis ex hypothese, ad tempus, largiremur hoc audacissimum postulatam, ceddò quæsumus, quodnam pro statu innocentia sacrificium externum ex illa officina rationis fabricatum proferent? Anne sacrificia pecorum? sed de his non nisi post lapsum institutis secunda docebit disputatio, imò de illis ipsis ne umbrula in scriptis ad statum innocentia delineandum promulgatis sacris spectabitur.

L I X.

Deinde norunt ipsi per quam optimè, Lutheranos, imò quosvis per orbem Christianum pios istud petitum audacissimum Pontificiis largiri nullo modo posse, ut oracula religionis Christianæ eudant ex lumine naturæ, ex instinctu naturali, ex ratione, ex inclinatione recta humanæ naturæ, & ex iis quæ consentanea rationi rectæ sunt.

L I X.

Deniq; quis feret hoc in Pontificiis, ut nobis obtrudant articulos fidei generatos ex ratione naturæ humanæ: Nunc post lapsum tam retris modis turbata, confusa, facta per peccatum.

L X.

Quæ tandem de omnium gentium consensu in sacrificiis Deo exhibendis profert Gregorius de Valentia, & Bellarminus ante

ipsum de omni FERE religione vera ac falsa sacrificare solita docet, ita sese habent, quemadmodum infra copiosius demonstrabitur, quod nimirum gentes vicinæ à vicinis patribus ritum, sacrificandi demum à lapsus tempore divinitus introductum, mutuatae sunt. Non enim ullo argumento probabitur ab ullo, quod gentes istum ritum ex lumine naturæ hauserint. Sicut enim alia infinita ex patriarchalibus Ecclesiis vicinis, ita has quoque ceremonias ex illis ipsis acceperunt, qua de re commemoratio valde prolixa, nec inutilis neq; injucunda poterat à nobis confici: Aliquid in eandem sententiam tradetur infra in alia disputatione.

LXI.

Unum interea Pontificiis regerimus, ex scholiis super Epistolam Gregorij Nazianzeni ad Nemesium in Ethnicismi fecibus hærentem, verba ita habent: Christianis olim ab Ethnicis quibusdam objectum est, multa in libris divinitus inspiratis inveniri, quæ à Platone, aliisque auctoribus accepta, immò surrepta essent. Sed falsum hoc plagij crimen justè in eosdem retorquent, tum alii multi, tum imprimis Clemens Alexandrinus, qui in libris Stromat. innumera loca Scripturæ sacræ producit, quæ Ethnici scriptores in volumina sua transtulerunt. *Hæc ille.*

LXII.

Atq; sic satis excussum est, in statu ante lapsum prorsus nulla futura fuisse sacrificia, qualia demum post lapsum sunt instituta. Manet autem fixus & immotus Syllogismus, quem fundamenti loco nostræ assertioni substravimus, iste:

Si in statu innocentiae ad sacra peragenda Deus requisivit capita locorum communium talia (quantum ex scripturarum sacrarum vestigiis scrutari licet, non verò ex rationis humanæ arbitrio sciscitari convenit) ex quibus neq; per expressum verbum, neq; per consequentiam bonam sacrificia sic propriè dicta elici possunt, tum in statu innocentiae nullus omnino fuisset usus istorum sacrificiorum.

Sed prius verissimum esse, ex inductione præcipuorum capitum, ad sacra tractanda in statu innocentiae necessariorum, luce meridiana clarius hucusq; est effectum.

Ergo & posterius manebit verissimum & certissimum, Problema videlicet hoc, Quod in statu innocentiae nullus fuisset futurus usus ulloꝝ sacrificiorum sic appellarum vulgò legitimorum.

DEO ÆTERNO SIT GLORIA ET LAUS IN ÆTERNAS ÆTERNITATES. AMEN.

F I N I S.

94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692





5b.

VD 17

21,7.99 Bd.







O. harram hoc signum in statu

29

DISPUTATIONUM
THEOLOGICARUM

De

SACRIFICIIS SATISFACTIONIS PRO PECCATIS TOTIUS GENERIS HUMANI

PER DOMINUM NOSTRUM JESUM

CHRISTUM PRÆSTITÆ, TYPIS CERTISSIMIS ET SUAVISSIMIS

SECUNDA

Adversus recentiores Arianos seu Photinianos meritum & satisfactionem CHRISTI Jesu negantibus.

QUE

In Collegio disputationum Theologicarum privato in templo arcis

Ad d. 24. Aug. Anno Christi 1614. in Academia VVitebergensi habebitur

P R A E S I D E

VVOLFGANGO FRANZIO

S.S. Theol. Doct. & Profefs. P.

R E S P O N D E N T E

M. MICHAELE SIRICIO LUB.

Facult. Philos. Adjuncto.

WITTEBERGÆ,

Ex Officina Typographica Johannis Gormanni, Anno 1614.